

37

3

V SVM
CORTICIS PERVVIANI
IN FEBRIBVS BILIOSIS

PRAE S I D E
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. XXI. MAII CIDI CCCLXG.
DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

DISCEP TABIT

AVCTOR

CHRISTIANVS GUILIELMVUS TIELE,
FREYBURGO - SILESIV.



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

MS. A. 9. 2. 1

CORTICIS PERUVIANI

IN CHRISTIANA-BRIOSE

MAGNICO-Academico-RACIORE

PETRO IANNARIE HARTIANO

1710. 1711. 1712. 1713. 1714. 1715.

1716. 1717. 1718. 1719. 1720. 1721.

1722. 1723. 1724. 1725. 1726. 1727.

1728. 1729. 1730. 1731. 1732. 1733.

1734. 1735. 1736. 1737. 1738. 1739.

1740. 1741. 1742. 1743. 1744. 1745.

1746. 1747. 1748. 1749. 1750. 1751.

1752. 1753. 1754. 1755. 1756. 1757.

1758. 1759. 1760. 1761. 1762. 1763.

1764. 1765. 1766. 1767. 1768. 1769.

1770. 1771. 1772. 1773. 1774. 1775.

1776. 1777. 1778. 1779. 1780. 1781.

1782. 1783. 1784. 1785. 1786. 1787.

1788. 1789. 1790. 1791. 1792. 1793.

1794. 1795. 1796. 1797. 1798. 1799.

1800. 1801. 1802. 1803. 1804. 1805.

1806. 1807. 1808. 1809. 1810. 1811.

1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817.

1818. 1819. 1820. 1821. 1822. 1823.

1824. 1825. 1826. 1827. 1828. 1829.

1830. 1831. 1832. 1833. 1834. 1835.

1836. 1837. 1838. 1839. 1840. 1841.

1842. 1843. 1844. 1845. 1846. 1847.

1848. 1849. 1850. 1851. 1852. 1853.

1854. 1855. 1856. 1857. 1858. 1859.

1860. 1861. 1862. 1863. 1864. 1865.

1866. 1867. 1868. 1869. 1870. 1871.

1872. 1873. 1874. 1875. 1876. 1877.

1878. 1879. 1880. 1881. 1882. 1883.

1884. 1885. 1886. 1887. 1888. 1889.

1890. 1891. 1892. 1893. 1894. 1895.

1896. 1897. 1898. 1899. 1900. 1901.

1902. 1903. 1904. 1905. 1906. 1907.

1908. 1909. 1910. 1911. 1912. 1913.

1914. 1915. 1916. 1917. 1918. 1919.

1920. 1921. 1922. 1923. 1924. 1925.

1926. 1927. 1928. 1929. 1930. 1931.

1932. 1933. 1934. 1935. 1936. 1937.

1938. 1939. 1940. 1941. 1942. 1943.

1944. 1945. 1946. 1947. 1948. 1949.

1950. 1951. 1952. 1953. 1954. 1955.





PROOEMIVM.

Sesquiseculum iam elapsum est, ex quo cortex Peruuianus in Europaeorum notitiam venit. Si quis igitur, quae eo ex tempore de huius medicamenti efficacitate, infinito obseruationum numero, cognita sunt atque declarata, computauerit; si vires hu-
ius corticis antipyreticas, antisepticas, sup-
purationem adiuuantes, tonicas, roborantes,
adstringentes, stomachicas, aliasque plures,
maxima experimentorum vi confirmatas,

A aesti-

aestimauerit; si relatum legerit, cessisse ab eiusdem vsu febres intermittentes, variasque alias diuersorum generum et ordinum, gangraenas, dolores topicos periodicos, scrophulas, haemoptyses, phthises, empyemata, vteri haemorrhagias, vermes intestinales, anorexias, aphtas criticas, variolas confluentes, malignas, tusses conuulsivas, atoniā, debilitatemque senilem: is profecto, omnibus singulisque inter se collatis, facile in eam adduci poterit sententiam, non aliud esse medicamentum, quod cortice Peruuiano magis aptiusque panchresti remedii nomen mereatur. Ut autem haec sunt, diffiteri tamen non possumus, varios deprehendi morbos, in quibus corticis Peruiani vsus prorsus alienus aestimari debet. In exemplar constituemus, praesentem scribendi opportunitatem aet*i*, febres biliosas: quarum eam esse naturam indolemque, quae dicti medicamenti applicationem non bene fert, partim experientia nostra, partim aliorum summorum virorum adsensu, confirmati, demonstrabimus.

§. I.

§. I.

Disputandorum ratio.

Nostrum autem in praesentia non interest instituti, luculentam febrium biliosarum pertexere historiam, et in earundem omnes singulasque causas, variationes, complicationes, secessusque inquirere; quandoquidem plures cum institutionum pathologicarum clinicarumque scriptores, tum singulares morborum biliosorum commentatores, in pertractando hoc argumento eximie sunt versati. Hoc autem ad propositum nostrum proprius attinet, intenta cura animum ad praecipuam proximamque causam, vnde hae febres oriuntur, aduertere; tum eruere modos et indicationes, eidem praeparandae, coquendae, et expellendae idoneas; porro incongruas eiusdem, quoad eius fieri potest, auertere secessiones; hac denique ratione cauere, ne in alias morbos, priori saepe peiores, transeant hae febres. Tum demum, his praemissis et sollicite expensis, quaenam corticis Peruuiani intus, iusta aequaque ceteroqui dosi, assumti, sit vis, quae actio, quinam in solidis fluidisque corporis humani partibus sint effectus, indagari oportet. Postremo si haec omnia inter se conferantur; tum profecto recte disceptari poterit quaestio: conducatne, an noceat in febribus biliosis cortex Peruuianus? Hic ergo erit dicendorum ordo.

A 2

§. II.

§. II.

Febres biliosae quaenam?

Accidit haud raro, ut illa elementa, quae in sanguine commixta fluitant, tandemque a natura per peculiare vasorum systema ad hepar deferuntur, ibidemque singulari opificio componendae bili destinantur, variis ex caussis, tam internis, quam externis, in sanguine coercentur et retineantur, adeoque copiae suae augmentatione corpori humano molesta fieri incipient. Quoniam vero hinc vniuersa naturalis sanguinis mistura mutatur et quodammodo corruptitur, fieri non potest, quin varii acores indigeni, quibus forte maior adfinitas chemica cum elementis biliosis interest, alioquin per varia cola eliminandi, nunc cum ipsa biliaria materie simul abundant. Hunc statum pathologi generatim *polycholiam* vocant, et quidem priorem *simplicem*; posteriorem *acrem*. Febres autem, quae ab utraque hac polycholia sine plethora biliosa originem trahunt, a pathologis peculiari nomine *biliosae* appellari solent.

§. III.

Cauſſa earundem proxima.

Sed nostri instituti porro refert, accurate inquirere, quanam a cauſſa proxime hae ipsae, de quibus nunc disputamus, oriuntur febres. Atque hic breuiter nos ad physiologica respicere oportet. Ex

iii-

3

iisdem enim per innumera experimenta constat, indi-
tas esse a natura certis quibusdam atque singularibus
corporis nostri partibus certas quoque et velut priua-
tas vires, a quibus singularium actiones definiuntur.
Hoc nomine fibrillis nervis sentiendi vis, musculari-
bus vero fibris irritabilis vis inest. Sed utraque
quasi quiescit, nisi irritamento quodam, cum singu-
lis communi, tum vero etiam cuilibet proprio et
peculiariter accommodato, excitetur. Communia
irritamenta sunt partim *mechanica*, partim *chemica*:
quorum priora impulsu, pressione, tensione, aliis-
que similibus modis; posteriora vero salinis stimulis
quomodo cunque applicatis in systemate nervo sen-
sum, dolorem, pruritum, et id genus alias sensatio-
nes, in musculari vero motus, contractiones, con-
vulsionesque producunt. Priuati autem generis irri-
tamentum singulariter nervis adiunxit natura, quod
vel per externos infertur sensus, vel per internos.
Cuius posterioris modi exempla dant animi adfe-
ctuum effectus: unde etiam hoc irritamenti genus a
nonnullis *moralē* dici solet. Praeter haec, quod in
nervos priuatum agit, irritamentum, his parariis, in
musculos quoque agere deprehenditur: quo exemplo
musculos conuulso, a vehementi dolore, animi ad-
fectu, aliisque nerviorum commotionibus ortos, ex-
citamus. Non perinde haec fiunt, inuerso modo,
saltem non semper, in nervis a muscularium fibra-
rum irritationē.

§. IV.

Idem argumentum.

Considerate iam nobiscum, lectores, statum, et praecedentem, et praesentem, aegrotantium, quos febris biliosa inuadit. Semper, vt paulo ante explicuimus (§. II.), in his, ante febrem istam motam, adesse oportet polycholiā. Haec, vt est naturali ordine iusto abundantior, iam molis suae mechanico in vasorum parietes impulsu hos irritat, eorundemque vim irritabilem in mouendas auctiores efficacioresque oscillationes excitat (§. III.). Ne quid dicamus de stimulo salino, forte quoque mutato per biliosorum elementorum abundantiorē cum sanguine permixtionem: vnde profecto irritamentum istud increscat, necesse est. Natura ergo ipsis istis praedictarum suarum virium incitamentis saepē numero vtitur, molestamque illam materiem ex sanguine ad cutis, renumquecola aut ventriculi intestinorumque emissaria transpellit, adeoque suum, cui praeest, corpus polycholia liberat. Idem quoque haud raro medici ars praefstat, si tempestiuē satis naturae molienti succurrat. Verum enim vero, si naturae vires aut medici conamina non sufficerint, augeatur in dies magis magisque polycholiae copia, et hinc quoque elementorum biliosorum compressorum densitas; aut increscunt etiam diuturna mora acrimoniae, vel materiae biliosae indigenae, vel aliunde et ab aduentitiis morbis accessoriae. Inde augetur demum, vel ob molem polycholiae maiorem, indigenae-

næque acrimoniae incrementum, vel ob alienorum et velut extraneorum acorum accessionem, in vasculis irritamentorum stimuli adeo, ut vniuersum postremo neruorum systema simul cum incitatis vasorum oscillationibus in consensum rapiatur, cordisque et arteriarum motus in celeres velocesque ictus compellantur. Atque sic oritur *febris*, ab irritantibus indole *bilioſa*; a simplici mole aut indigeno acore, *simplex*, a composito, alieno, aduentitioque autem salino stimulo, *complicata* merito appellanda. Quotusquisque nunc est, qui non intelligat, proximam biliosarum febrium *caſam* vnicے qualecunque istud, quod exposuimus, irritamentum dici mereri; proxime remotam vero cauſam in polycholia confitere; ceteras denique omnes singulasque esse *remotiores*, siue praedispontentes dicantur, siue occasio-
nales, quae nascenti increſcentique polycholiae fauent?

§. V.

Indicationes therapeuticae.

Antiquissimum inter medicos est prouerbium: cauſas morborum tollere, idem esse, ac mederi. Quicunque igitur polycholiam ex humano corpore semouer, tollit quoque orta hinc irritamenta; medetur adeo febribus biliosis. Atque hic, ut paullo supra (§. IV.) dictum est, ipsa natura viam medentibus monstrat, et quidem *duplici* itineris *ſtadio*. Primo enim materiam biliosam, adhuc crudam, hoc est,
humo-

humoribus corporis humani inhaerentem et permixtam, incitato virium suarum conatu, ut mota febris testatur, efficacius in circulum agit, dissoluit, et ex cohaesione cum reliquis humorum elementis extricat; tum per interualla denuo a virium dictarum intensione remittit et velut quiescit, ut sub motuum moderamine, a quo intestinus humorum motus efficiacior fieri solet, extricatae biliosae aut biliformes particulae cum liquoribus excrementitiis facilius coëant, et ad exitum praeparentur. Hoc coquere vocant pathologi. Quae iam antea vero ad commodity ejectionis loca, verbi caussa, ad ventriculum et intestinalem tubum, erant reiecta, protinus et non interposita mora per vomitus diarrhoeasque remouet; ne denuo resorpta sint nocumento, augeantque denuo polycholiam. Altero deinde stadio materiam, nunc coctam, id est, humoribus excrementitiis intermixtam, temperatam, mobilemque factam, pedentim ad diuersa colatoria amandat, iisdemque viis, exacerbatis denuo motibus vitalibus, efficacissime expellit. Hinc sub cuiuslibet exacerbationis febrilis remissione obseruantur his in seribus, praesertim simplicibus (§. IV.), vomitiones et diarrhoeae biliosae; sudores copiosi, nidorosi; vrinae largae, biliosae, iumentosae, hypostaticae. Medici ergo, febrium biliosarum medelam molituri, iidem duo scopi, eaedem therapeuticae funto indicationes.

§. VI.

Medicamenta his indicationibus opportuna.

Primae indicationi, naturae vires effectosque
inde congruos motus in praestanda *crudae* materiae
coctione adiutuae et confirmaturae, inseruiunt re-
media lenissime humores resoluentia, aperientia, et,
vt primis viis quoque ob faburram biliosam prospici-
atur, ecce protica. Huc referri possunt saponacei
fructuum horaeorum, radicumue subdulcium et re-
center lactescens, verbi causa, taraxaci, cichorei,
graminis, et cet. succi, acidula vegetabilia,
cum diaeta eiusdem generis. His addi possunt salia
media facile solubilia aut liquida: exempli gratia, sal
mirabile, tartarus tartarisatus, liquor terrae foliatae
tartari, digestius BOERHAAVI, et id genus alia.
Quorum omnium efficacitatem eximie adiuuat suffi-
ciens et largus potus liquorum aquosorum, tenuium,
et acidorum. Alteri autem indicationi, quae ma-
teriae biliosae, coctione nunc perfecta, in locis co-
latoris et excretoriis iam turgescens, expulsionem
requirit, satisfacere possumus per subemetica, eme-
tica, in primis antimonialia, et cathartica leniora.
Haec nimurum in febre biliosa, simplici, et leuiori
sufficiunt.

§. VII.

Eiusdem argumenti continuatio.

Sed accidit haud raro, vt variae aliae condi-
tiones, tam ipsius corporis ex biliosa febre aegro-
tantis

tantis, quam aliarum rerum extrinsecus admotarum, vel iam praesentes, vel tum demum superuenientes, partim ipsam febris biliosae naturam in consuetis suis moliminibus mutent; partim aliorum morborum variis complicationibus turbent atque peruertant. Vtique in statu semper grauior acerbiorque sit biliosa febris, medicumque cogit, ad has quoque qualescunque conditiones atque complications circumspete suas accommodare indicaciones. *Prioris* generis, quae ab ipso aegroti corpore dependent, potiora sunt vel enormis polycholia; vel aliorum humorum, a nimia febre efficacius propulsorum, turgor aut in singulari quadam corporis parte congestio, a mora in infarctum perdueta; vel priuata et indiuindua corporis aut singularium eiusdem partiuni conditio, debilitas, laxitas, et cetera, circulantibus ibidem humoribus impedimentum obiciens, aut neruos quoque variis, saepè ignotis, modis quomodocunque adsciens. Hinc oriuntur frequenter, praesertim sub coctionis molamine, multiplices ad varia corporis loca metastases: quae, quonobiliar, in quam decumbunt, est pars, eo maius minantur periculum, et plerumque, aucto adeo irritamento, sanguini phlogisticam inferunt diathesin. Eiusmodi febres *bilioſae* tunc generatim cum metastasi adpellari solent, addito cognomine a locis, quibus materia biliosa impingitur; verbi causa, *phrenitis biliosa, pleuritis biliosa, et reliqua.*

S. VIII.

§. VIII.
Idem argumentum.

Ex posteriori autem genere (§. VII.), cui extrinsecus admotae causae, aliorumque morborum complicationes subsunt, huc referimus constitutionem aëris variam, anni temporibus atque vicissitudinibus conformem difformemque, epidemiam, endemiam; miasmata varia, eodem tempore saepe humores sanguineos, biliosos, immo ipsos neruos et id, quodcunque ipsos regit, varia, nobis saepe inexplicabili, ratione corruptentia. Saepe numero quoque fieri solet, ut vtriusque, quod diximus (§. VII. VIII.), generis conditiones concurrant, adeoque febrium biliosarum genium vario modo modificatum reddant. Interim, si omnia accurate expendimus, pleraque harum complicatarum febrium opportune ad tria summa genera reduci possunt. Et enim eiusmodi mixta et complicata febris aut *bilioſa inflammatoria*; aut *bilioſo-putrida*; aut *bilioſo-neruoſa*. Prior plerumque in hominibus robustis, iuuenilis aut virilis aetatis, plethoricis, ad diathesin inflammatoriam proclivibus, obuenit: praeſertim si metastasis biliosa accesserit. Altera e contrario in polycholis a natura hominibus frequenter deprehenditur: si nimirum biliarium inquinamentum sanguineae massæ tenacius inhaeret, naturaeque ejectionem molienti vehementius resistit, adeoque tandem per varias cooperantes causas fibi adſimilat sanguinem, eundemque postremo, exci-

tato nouo et plane peculiari motu intestino, soluit et in putridum redigit liquamen; cuius tum vestigia tam in primis, quam secundis viis deprehenduntur. Ultima denique, quam neruosam diximus, lubentius ad febrium lentarum neruosarum ordinem relictus: nisi quod, praesentibus ceteroquin omnibus febris lentae neruosae communibus signis, colloquie quoque biliosae, ad neruorum systema depositae, signa simul adsunt. Sunt, qui has febres malignas biliosas nominant. Ceterum varia harum febrium nomina, a subsecuuis characteribus, verbi causa, a fede, a singularibus excretionibus, a locis aut hominibus, in quibus frequentius vigent, a typo, et ceteris, defumta, hic breuitatis causa omittimus a).

§. IX.

Remedia metastaticis et complicatis febribus idonea.

Quanquam vero in his metastaticis (§. VII.) et complicatis febribus biliosis (§. VIII.) generatini quoque medentis cura eo dirigi debet, vt cruda maticies febrilis coquatur, et cocta dein remoueatur atque congruis modis viisque eliminetur: interest tamen quoque officii medici, vt partim in metastaticis febribus offendiculum illud, ad quod circulantes humores, polycholia infecti, subsistunt, et metastasis formant, tempestive satis tollatur, habita semper organi aut visceris, decubitum patientis, ratione,

a) Confer, si lubet, super his MAXIMILIANI STOLL *Aphor. de cognosc. et curand. febribus*; §. 352. et SAMUEL GOTTLIEB VOGEL's *Handbuch der pract. Arzneiwiss.* pag. 333. edit. secund.

tione; partim in *complicatis* huius generis febribus curate circumspiciatur, quinam hac in complicatione morbus potissimum atque eminenter vrgeat, certiusque minetur periculum? biliosusne, an alter? et quae nam adeo medendi methodus praemitti possit debeatque alteri? Sed per exempla ibimus. Generatim, vt paullo supra differuimus, his in febribus qualibus cuncte polycholia morbosa est, post absolutam coctionem, euacuanda. Quandocunque igitur aliquid, cum coctioni, tum euacuationi, obstat, aut remedium, utramque adiuuantum, contraindicans est, vt pathologi loqui solent: tunc profecto istud obstatulum remoueri oportet. Ergo in iis metastasibus, quae maius periculum minantur, verbi causa, phlogisticis, venae sectio praemittatur emetocatharsi; coniunctis simul potibus diluentibus, soluentibus, mellitis, nitrosis. Decubitus ad thoracica et abdominalia viscera, sine diathesi phlogistica, eadem requirit, praeter venae sectionem. Metastases denique cutaneas, exanthematicas, eliminata prius ex primis viis colluui, euocant vesicatoria, sed prudenter cum circumspectione adhibita; ne principes polycholiae euacuationes, quae per alii et vrinæ vias expediuntur, iusto nimis immunitate fiant. Inter complicatas vero huius generis febres *bilioso-inflammatoria* haud aliam requirit medendi methodum, quam quae in metastatica, ex phlogisticis causis oriunda, paullo supra est commendata. *Bilioso-putridae* ante omnia, primis statim diebus, opportunam postulant emesin, vt saburra putris biliosa,

in

in primis viis iam praesens, tempestive illinc expellatur, ne resorpta reliquos humores perpetuo simili putrilagine inquiet: subiunctis dein, per omnem huius morbi progressum, lenioribus emetocatharticis, mannatis, tamarindinatis, refracta tartari emeticis dosi permixtis, interpositisque potulentis diluentibus, antisepticis, acidulis, tam vegetabilibus, quam mineralibus: e. g. aceto, cremore tartari, oxymelite simplici, vino Rhenano aut Mosellano, elixiro acido HALLERI, et id genus ceteris. De magna virtutis antiseptico, cortice Peruiano, deinde dispicimus. *Febris bilioso - neruosa* denique, febris bilioso - putridae saepe comes, saepe pedissequa, quam nuper vir celeberrimus, van MERTENS, luculentissime descripsit b), saepe cum topica quadam inflammatione, e. g. angina, complicata, longe aliam et a prioribus distinctam medendi rationem poscit. Hic profecto medicum lente festinare oportet. Primo quidem hic quoque lenissimum emeticum sub morbi initio eximie conductit, dum inter evacuationis motum neruos moderate concutit. Dantur tartari emeticis aut ipecacuanhae doses refractae, subiunctis herbarum neruinarum, melissae, menthae piperit. folior. aurantior. infusis theaeformibus. Deinde per totum huius febris decursum alius seruetur libera per rhabarbarina, salibus mediis tartarisatis nupta. Interponantur denique acida optime dulcificata, naphthae, camphora, aut vegetabilia camphoratis particulis

b) In der Beobacht. der faulen Fieber, der Pest, u. s. w. Goettingen 1779. in 8. pag. 60. seq.

culis foeta, e. g. menth. piperit. serpentaria, contra-
yerua, valerian. et cetera. Extrinsecus per inter-
valla imponantur epispastica et vesicantia. Haec
omnia enim lenem mouent diaphoresin, et mox lan-
guentes, mox nimis excitatos neruos ad naturae or-
dinem, quoad eius adhuc fieri potest, reducunt.

§. X.

Cortex peruvianus in his febrib. simplic. incongruus.

Supereft, vt ad alteram propositi argumenti
partem conuertamur, breuiter inquisituri, conue-
niatne corticis Peruvianis vſus febribus biliosis me-
dicandis, nec ne? Si audiamus illumrem et ex pru-
dentia clinica suo merito celebrem STOLLIVM, re-
probari omnino iſtum oportet. Ille enim: nocent,
inquit c) per ſe in hac febre, cardiaca, calefacientia,
cortex Peruvianus, et cet. Atque hoc adſertum in
febribus biliosis simplicibus (§. IV. VI.) omnino ve-
ritati planiſſime reſpondet. Qualescumque enim vi-
res, huic cortici recte tributas, et a nobis in prooe-
mio huius commentarioli taetas, subſumferis, nae!
intelliges, nec in eruditatis, nec in coetionis ſtadio
ab iisdem aliiquid fructuofi exspectari poſſe. Crudam
enim polycheliam in priori ſtadio hic cortex, impru-
denter adhibitus, extricandis ex ſanguine impuritati-
bus polycholicis magno erit impedimento; quia po-
tius inquinamenta biliosa cum maſſa ſanguinea ar-

Atius
c) In Aphorism. de febribus, §. 372.

C

etius compinget, et in vasculis, quae ad cola ducunt, adeo infarciet, ut coctioni nullus sit locus, febrisque, per quam natura coctionem molitur, infringatur. Alterius vero stadii tempore, quo salutares istae materie coctae fiunt euacuationes, siue a natura motae, siue a medico adiutae, nocebit quoque hic cortex. Saluberrimam enim istam emetocatharsin plerumque impedit, aut saltē retardat. Haud raro quoque ceterorum colatoriorum officiis obstat, cutem siccām, imminuta diaphoresi, efficit; et saepe numero in urina peractae criseos signa turbat, lutiūmque, antea iam turbidum, iterum tenue et aquosum reddit. Vidi olim verbi diuini ministrum, ex simplici biliosa febre decumbentem; qui paene ex peruersa hac niedendi methodo vitam amississet, nisi adhuc satis tempestive, me suasore, iis tractatus esset remediis, quae supra (§. VI.) exposui. Superata autem penitus febre, expulsaque polycholia, si quis superstiti forte primarum secundarumque viarum debilitati Chinchonam opponere velit, per me licebit.

§. XI.

Secus in febribus complicatis.

Longe alia febrium complicatarum biliosarum est ratio atque natura: quae omnino pro diuersitate causarum, vario complexu conuenientium, Peruviani corticis usum non solum non respuunt, sed passim etiam maxime requirunt. Strictim tamen haec omnia hic tantummodo persequemur. In febre

bre *bilioſa inflammatoria*, ad quam quoque plures metaſtatica referri poſſunt, ob easdem fere ratio-nes, quas paulo ante recenſuimus (§. X.), de vſu huius corticis vix cogitari poterit. Contra ea in *bilioſo-putridarum* genere regnat quāſi, tanquam antiſepticorum princeps, hic cortex: inprimis ſi aci-dum vitriolicum aut aluminoſum prudenter adiunga-tur. In febre vero *bilioſo-neruosa* dubius ſaepe an-cepsque, nec ſatis aperte definiendus, huius remedii deprehenditur vſus: niſi quod, dum maniſtiores verſus finem huius febris fiunt remiſſiones, iuſta cum circumſpektione haud infructuofe hic cortex propri-nari potest. Generatim omnibus, corticis Peruua-ni amatoribus atque fautoribns, acclamari meretur tritum illud et in medicorum ſcholis iam pridem fre-quentatum prouerbiuſ:

Nec temere, nec timide!





B.I.G.

V SVM

CORTICIS PERVVIANI IN FEBRIBVS BILIOSIS

PRAE SIDE

MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PUBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. XXI. MAII CICIDCCCLXG.

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

DISCEPTABIT

AVCTOR

CHRISTIANVS GVLIELMV S TIELE,
FREYBURGO - SILESIVS.



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

